



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput V. Definitur Epocha Tiberii Cæsaris, & annus, quo Christus suscepit
baptismum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83684](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83684)

CAPUT V.

Definitur Epocha Tiberii Cæſaris, & annus, quo Chriſtus ſuſcepit baptiſmum.

SUMMARIUM.

1. & 2. Præliminaria ad propoſitionem.
3. Propoſitio prima probatur.
4. & 5. Solvuntur objectiones.

6. uſque ad 10. Propoſitio 2da probatur.
10. uſque ad 20. Solvuntur objectiones.
20. & ſeqq. Propoſitio tertia probatur.

I.
Status quæ-
ſtionis.

S. LUCAS Evangeliſta cap. III. 1. narrat Joannem Baptiſtam miniſterium ſuum cœpiſſe propè Jordannem anno xv. imperii Tiberii Cæſaris, & verſu 23. Chriſtum ad baptiſmum veniſſe, cum ageret ætatis ſuæ annum trigefimum. Liquido conſtat Tiberium, poſtquam deceſſit Auguſtus, adeptum imperium anno U. C. 767. die 19. ſextilis menſis. Annus itaque xv. erit annus U. 782. quo juxta recentiores Chronologos cœpit Joannes baptizare, & ſi Chriſtum natum dixeris cum Martyrol. Rom. an. U. C. 752. tunc annum trigefimum ipſe Salvator inierat; ſi placeat Baptiſmum ejus cum iſdem recentioribus referre in annum proximum 783. & ſecundum prædicationis Joannis, juxta veterem Chronologiam inchoaverat Dominus à diebus xlii. trigefimum primum ætatis annum. Verùm cum iſdem recentiores Chronologi nobiſcum Natalem Chriſti retrahant ad an. U. C. 749. & quidam etiam ad præcedentem, ſervata Epochâ illâ Tiberianâ, nequeunt locare baptiſmum Chriſti in Urbis anno 782. Tiberii quindodecimo, vel in proximo U. 783. Tiberii xvi. niſi affirmant baptizatum Dominum anno trigefimo tertio, aut trigefimo quarto ineunte: quam poſtremam ſententiâ propugnat vir clariſſ. Natal. Alex. diſſ. II. q. 2. Nobis verò extra controverſiam poſitum eſſe videtur, veniſſe Chriſtum ad baptiſmum, cum eſſet *fere annorum triginta*, idque ex Evangelicâ hiſtoria, ac Traditione compertum eſſe; ideoque conſentientibus jam omnibus Chriſtum natum an. U. 749. aut ſaltem præcedenti, jure contendimus tinctum Joannis baptiſmate anno U. 779. die ſexta Januarii, cum ageret annum trigefimum, vel hunc à paucis diebus expleſſet. Verùm cum iſte ſit annus Tiberii ab Auguſti obitu duodecimus; gravis oritur quæſtio, quomodo Joannes incœperit miniſtrare baptiſmum anno Tiberii decimoquinto: aut quomodo ſi hoc anno, vel inſequenti baptizatus eſt Jeſus, non attigerit ætatem illam, quam adſtruunt Recentiores.

Ut hunc ſolvamus nodum, recurrendum eſt ad imperium Tiberii Proconſulare: de quo etiam non levis inſurgit quæſtio, à quo anno ſit deducendum. Pagius enim in diſſert. Hyp. cenſet hanc dignitatem adeptum Tiberium anno U. C. 763. x. Vulgaris Aetæ, Dolabella & Silano, anno ante obitum Auguſti 14. quam opinionem propugnat diſſert. cap. 4. Schellſtratus, & diſſert. x. de Myſt. & An. Chriſti Cl. Graveſonius. At Pagius poſtea ad annum Chriſti xi. n. 2. & 10. retulit hunc Tiberii principatum in annum proximum U. 764. Coſſ. Lepido & Tauro: quæ fuit quoque ſententiâ Capelli diſſert. de Anno Paſſ. Chriſti, & Henſchenii in Expoſit. vet. Catal. Pontif. Et quamvis Graveſonius aſſerat non videre ſe, cur doctiſſimus Pagius à priori ſententiâ receſſerit, permotum hunc fuiſſe momentis firmiſſimis, ea, quæ ſubjiciam, apertiſſime commonſtrabunt. Tenent præterea Petavius lib. xi. de Doct. Temp. cap. 7. Noriſius diſſert. 2. Cenoſtaph. Piſan. pag. 519. Tom. III. & in Epist. IV. ad Pagium Tom. IV. pag. 765. necnon Tillemont. Not. IV. in hiſt. Auguſti, indeptum Tiberium Proconſularem dignitatem Coſſ. Cæſare Germanico & Capitone, anno V. Ae. xlii. & U. C. 765. quam ſententiâ nec Pagius rejicit, ſcribens citato num. 10. incertum eſſe, an erraverit Vellejus affirmans colatum imperium Tiberio ante triumphum, an Suetonius aſſerens conſeſſum triumpho acto. Nam poſſunt hæc in eundem annum convenire, id eſt, in præcitatum Romæ 765. quo Tiberium egiſſe triumphum res eſt apertiſſima. Pighius denique Tom. III. Annalium ait datam Tiberio in provinciis parem cum Auguſto auctoritatem anno U. 766. C. Silio & Munatio Planco Coſſ. & V. Ae. xlii. quod Suetonius id eveniſſe ſcripſerit poſt triumphum.

PROPOSITIO I. Tiberius imperium Proconſulare indeptus eſt an. U. C. 765. Coſſ. Cæſare & Capitone, anno IV. olymp. 197. Juliano 57. P. Jul. 4725. Ae. V. xlii. Etenim

2.
Explicatur.

3.
Propoſitio I.

Probatur.

Etenim Vellejus Paterculus lib. 11. cap. 121. de Tiberio ait: *Cum res Galliarum maxima molis, accensasque plebis Viennensium dissensiones, coercitione magis, quam pœna molisset; & Senatus populusque Romanus postulante patre ejus, ut æquum ei jus in omnibus provinciis, exercitusque esset: (etenim absurdum erat non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur; & qui ad opemferendam primus erat, ad vindicandum honorem non judicari parem) in Urbem reversus, jam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Delmatisque egit triumphum.* Igitur primo Imperium Proconsulare Tiberio delatum est, cum sedato Viennensium tumultu, compositisque rebus Germanicis reversurus erat ad Urbem, ut ageret triumphum ob Varianam cædem, bellorumque continuationem dilatum. At Tiberius triumphum egit anno U. 765. Cæf. Germ. & C. Fontejo Capitone Coss. Hoc ergo anno Tiberio æquum cum Augusto jus in provinciis collatum est. Præterea Suetonius in Tiberio cum narrasset domito Illyrico Tiberium distulisse triumphum, moesta civitate clade Variana, scribit proximo anno repetita Germania prospere rem gessisse, ac e Germania in Urbem post biennium reversum, decretum, dilatumque egisse triumphum; & denique cap. 21. inquit: *Ac non multo post lege per Consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret, &c.* Animadvertit Norisius in hoc tantum discrepare à Vellejo Suetonium, quod unus paulo post triumphum, alter paulo ante, Tiberium evectum ad honorem Proconsulis, literis consignavit; ac Pagius, Uter, inquit, erraverit incertum. At si paulo ante triumphum, si paulo post, affirmes latam per Consules legem decernentem Tiberio par cum Augusto jus in provinciis; cum certum sit illum triumphum egisse anno V. A. C. 111. in hunc annum referri debet Tiberiani principatus initium. Equum tamen est, ut Vellejo potius, quam Suetonio credamus: illi enim fratrique suo triumphantem Tiberium, (ut scribit laudato cap. 121.) inter præcipuos, præcipuisque domibus adornatos viros, comitari contigit.

4.
Objecta adversariorum.

Contraria argumenta sunt. I. Suetoni hæc sunt verba: *Dedicavit & Concordiæ ædem. Item Pollucis, & Castoris, suo fratrisque nomine de manubiis. Ac non multo post lege per Consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret, &c.* Aedem verò Con-

cordiæ dedicatam an. U. 763. die 17. Kal. Februariarum constat ex Dione lib. LVI. pag. 586. & ex Ovidio 1. Fastorum. Igitur paulo post hanc dedicationem, eodem anno 763. Coss. Dolabella & Siliano Tiberius Proconsulare imperium indeptus est. II. Tacitus lib. 1. Annal. cap. 1. inquit: *Nero solus è privignis erat: illuc cuncta vergere: Filius collega imperii, consors Tribunitiæ potestatis adsumitur, omnesque per exercitus ostentatur.* III. Dio Cassius citato loco pertractans de rebus gestis Coss. M. Aem. Lepido, & T. Statilio Tauro, id est anno U. 764. inquit: *Tiberius & Germanicus cui Proconsulare erat imperium impressionem in Germaniam fecerunt.* Dio autem minime appellasset Tiberium Proconsulem initio anni 764. si tantum v. Kal. Septembris ejusdem anni, vel anno proximo accepisset imperium. IV. Scripserat ibidem Dio ob victoriam à Tiberio relata in Dalmatis, *Tiberio nomen Imperatorium ac triumphum decretum;* & Suetonius pariter cap. 17. *Triumphus ei decretus est, multique & magni honores: ideoque Tiberius, antequam Germaniam repeteret, potitus erat imperio.* V. Plinius lib. XIV. cap. ult. appellat Tiberium Principem, quando Pisonem ad præfecturam Urbis delegit. At Piso obiit anno U. 785. Domitio & Scriboniano Coss. ex Tacito lib. VI. Ann. cap. 2. *viginti per annos probatus.* Si ergo viginti hinc eximas annos, invenies anno U. C. 765. Tiberium Imperii collegam. Hæc sunt argumenta, quibus Schelstratius & Grævelonius certissimum putant Epocham Imperii Proconsularis figendam in anno U. 763. ita, ut Grævelonius scripserit: *Nec sane video, qua ratione doctissimus Pagius ab hac certissima Epochâ, quam in sua dissertat. Hyppatica multis stabilierat argumentis, postea in sua Critica Annalium receperit.*

At recessit, me quidem iudice, jure ac merito, cum nihil his argumentis erui queat circa exordium imperii Tiberiani. Etenim, quantum ad primum attinet, Suetonius non solum eo loci commemorat dedicationem ædis Concordiæ, verum etiam Castoris & Pollucis, quam liquet consecratam anno U. 759. Coss. Lepido, & Arruntio. Suetonius ergo ordinem temporum non servavit, sed utramque dedicationem, necnon manubias, & prædantiâ pecunias, quæ pompam auxerant, narravit post triumphum ann. U. 765. Quæ cum Norisius per Epistolam Pagio significasset, recte est sententia.

ſententiam verbis Suetonii haud rectè ponderatis innixam retractavit. Igitur ea verba, *ac non multo poſt*, non ad ædis Concordiæ dedicationem, ſed ad triumphum referri debent: maxime cum ſint exordium alterius capitis, & à præcedentibus ſint ſejungenda: ideoque Suetonius ſententiam noſtram confirmat. Tacitus vero demonſtrat ſane imperium Tiberii, ſed de imperii exordio ne quidem. Drufi tantum, & Caji narrat obitum, ex quo colligi nequit Tiberii Epochæ: nam Drufus obiit anno U. 755, ut demonſtrat Panvinus lib. 2. Faſtorum pag. 296. ex T. Livio, & Suetonio, ac Juſtus Lipſius in lib. 1. Taciti num. 26. Cajuſ autem ex Noriſio diſſert. 2. Cenotaph. Piſ. cap. 17. deceſſit anno Romæ 756. ix. Kal. Martias. Argumentum quoque tertium corroborat ſententiam noſtram, nam Dionis verba, *Cui Proconſulare erat imperium*, ut liquet, non ad Tiberium ſunt referenda, ſed ad Germanicum: quod rectè animadvertit Noriſius in Cenotaph. diſ. 2. cap. 9. & maniſeſtiſſimum eſt ex Græco Dionis textu, Γερμανικὸς αὐτῷ ὑπ᾿αὐτὸν ἀρχῶν, *Germanicus pro conſule imperans*. Cum ergo Tiberius & Germanicus anno U. 764. *impreſſionem in Germaniam fecerunt*, Tiberius nondum adeptus fuerat æquum cum Auguſto in provinciis imperium, ſed illud obtinuit anno duntaxat inſequenti. Quod ſequitur, & nullius eſt roboris, & ſententiam adverſariorum evertit: nomen quippe *Imperatoris* non ſignificat *imperium proconſulare*: ſed appellatio erat militaris, qua duces conſecto bello, primum acclamatione militum, deinde Senatus decreto honeſtabantur, ex Dempſtero lib. x. Antiq. Rom. cap. 6. quare Tiberius appellatus eſt *Imperator* anno U. 759. ob res contra Illyricos præclare geſtas, ex Panvinio in 2. Faſtorum; & ex ipſo Dione, ac Suetonio ante Varianam cladem, ideoque ante annum U. 763. Sed nec verum eſt conſignandam cladem Varianam anno U. 763. x. V. Ae. & Dolobella & Silano Coſſ. ut Schelſtratus ait Tom. 1. Antiq. Eccl. pag. 63. forte deceptus à Baronio idem tradente ad an. xii. Chriſti. Hunc enim anachroniſmum emendarunt ſummi viri, Petavius lib. xiiii. de Doct. temp. pag. 663. Noriſius in Cenotaph. Tom. 111. pag. 494. Pagius ad annum Chriſti ix. num. 2. cum ex Dione lib. lvi. pag. 663. quem ſequitur Panvinus in Faſtis pag. 41. incidit Variana cædes in Conſulatum Camerini, & Poppæi, ſcilicet, in præcedentem annum Urbis 762. & nonum vulgaris Aetæ. Po-
R. P. Berti Theol. Tom. V.

ſtrema denique argumentatio ejusdem farinae eſt: primo, quia anni xx. inter annum U. 765. & 785. interceſſere, & conſequenter non refutatur ſententia noſtra ex anno Piſonis emortuali: deinde Lipſius in notis ad lib. vi. Taciti ait ex geminata litera x. errore in Taciti librum irrepiſſe, quod pluribus confirmat Noriſius Cenotaph. diſ. 2. cap. xvi. §. xi. Denique Suetonius in *Tiberio*, cap. 42. ſcribit Tiberium in epulis, quas noctem, continuumque biduum cum Pomponio Flacco, & L. Piſone protraxit, illi *Syriam provinciam*, huic vero *præfecturam urbis detuliſſe*. Syria autem Pomponio Flacco commiſſa eſt juxta Noriſium anno U. 775. Ae. V. 22. non diſſentiente à Schelſtrate Tom. 1. Antiq. Eccl. pag. 124. imo & Pagio ad annum xxi. num. 3. licet is ad annum Chriſti xi. num. 5. ſcribat incertum eſſe, num Flaccus ſtatim demandatam provinciam inierit, an propter ignotas nobis cauſas tardius proſectus fuerit ad Syriam regendam. Ut ut ſit, nequeunt hæc argumenta Tiberianam Epocham è ſuo loco amovere; cumque Pighius ſtatuens illius initium in an. 766. nulla alia ratione utatur, quàm petita ex verbis Suetonii ſcribentis lata per Conſules lege, ut cum Auguſto provincias adminiſtraret, *ſimulque cenſum ageret, condito luſtro in Illyricum Tyberium proſectum eſſe*: quorum verborum ſenſus eſt, legem hanc latam non multo poſt triumphum, non vero paululum ante luſtrum an. 767. conditum; firmior apparet aſſertio noſtra etiam conſutatione contrariarum, certiffima autem ex ea quæ conſequitur, poſitione.

PROPOSITIO II. Chriſtus Baptizatus eſt anno U. C. 779. Coſſ. Cornelio Len-Propoſi-
tulo Getulico, & Calviſio Sabino, Ae. tio 2.
V. xxvi. ſecundo Olymp. 201. P. Julia-
næ 4739. ætatis ſuæ trigelimo anno
ineunte.

Demonſtratur I. Lucæ cap. 111. de-Demonſtra-
ſcribitur tempus prædicationis Joannis, tur.
quo baptizante confluentem ad eum multitudinem, ipſe Jeſus ad noſtræ humilitatis exemplum ad baptiſmum acceſſit. Eſt autem tempus iſtud annus imperii Tiberii Cæſaris xv. Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæſaris, inquit Evangeliſta. Atqui hoc loci nequit intelligi annus xv. quo Tiberius regnavit à morte Auguſti, juxta enim hanc Epocham quintus decimus imperii annus incipit à die ſextilis menſis xix. anno U. C. 781. & ſi Chriſtus dicatur natus viii. Kal. Januarias,

T c

an.

an. U. 749. eadem die, labente præcitato anno Romæ 781. usque ad palilia explevisset annos duos supra triginta, atque die sexta Januarii egisset annum trigessimum tertium, aut, si retrahas Christi natalem in præcedentem annum U. 748. vel unum annum statuas inter inchoatam Joannis prædicationem & Salvatoris baptismum, (ut quidam faciunt) annum inchoasset quartum supra tricesimum; quod eidem Evangelistæ, & Ecclesiæ auctoritati repugnat. Igitur Evangelista loquitur de anno xv. imperii Proconsularis, qui annus xv. juxta epocham fixam præcedenti propositione incidit in annum U. C. 779. ideoque hoc anno Christus baptismum suscepit. Et Jesum quidem baptizatum anno Tiberii xv. tradunt communiter Patres, & nemo unus, quem legerim, differt Redemptionis baptismum in annum Tiberii xvi. Imo antiquissimus auctor Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 15. scribit baptizatum Dominum anno xii. Tiberii Cæsaris: quo in loco perperam Tertullianus à Pamelio, aliisque reprehenditur; cum fixa Epocha Imperii Proconsularis anno U. 765. vere cum anno 779. concurrat annus Tiberii xii. Augustalis.

7.
Confirmatur I.

Præterea confirmatur propositio versu 23. prælaudati capitis Lucæ, *Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta*. Cum itaque Christus natus sit anno U. C. 749. inchoaverat annum trigessimum anno U. 779. ideoque hoc anno baptizatus est. Quid vero ad tam expeditum, apertumque momentum Recentiores? Reponunt quidam extare in Græco particulam *ὥς*, i. circiter, per quam particulam ætatem, qua Christus ad baptismum venit, possumus extendere ad annum usque tricesimum quartum inchoatum: respondent alii participium illud *incipiens* non ad baptismum, sed ad prædicationem Christi esse referendum. Mirum doctos viros ad suam chronotaxim defensandam tam absurda effutire! Refellitur enim responsio, sive, ut melius dicam, commentatio prima sequentibus argumentis. Primum dato particulam *ὥς* idem valere, ac *circiter*, nonne potius innueret annum Christi xxix aut xxxi. quorum unus per diminutionem, alter per excessum annum circiter tricesimum complectuntur? Deinde particula *ὥς*, *quasi*, aut diminutionem, aut certe non tantam amplitudinem significat: nam, ut sacra proferantur exempla, ubi legimus Joan. 1. 39. *Hora autem erat quasi*

decima. iv. 6. *Hora erat quasi sexta*. xix. 14. *Erat autem Parasceve Pascha hora quasi sexta*: & versu 39. *quasi libras centum*, non habet adverbium *quasi* amplam significationem; quemadmodum nec apud Latinos: inter quos dum Suetonius in Caligula ait, *Hora quasi septima cunctatus an ad prandium surgeret*, dum Terentius Heaut. *Quasi talenta ad quindecim coegi*, dum Cicero quarto Academ. qq. *Quantulus vobis videtur? mihi quidem quasi pedalis*; in iis, aliisque locis quamplurimis *quasi* diminutionem, non ampliationem significat. Præterea participium *incipiens*, de quo paulo infra, omnem particulæ *quasi* tollit ambiguitatem, demonstratque Christum, dum ad baptismum venit, annum inchoasse tricesimum. Insuper cum Latina mire conspirant Versiones aliæ: nam habet Syriaca, *Et Jesus erat quasi filius annorum triginta*. Æthiopica, *Et sufficiebat trigessimus annus Domino Jesu*. Persica, & Arabica, *Et Jesus ceperat ingredi in trigessimum annum*. Dominum baptizatum esse annorum fere triginta, (ut inquit S. P. Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. cap. 28. num. 42.) retinemus auctoritate Evangelicæ; necnon perpetua traditione Sanctorum. Justinus enim in Dialogo cum Tryphone pag. 315. scribit baptizatum Christum, *cum haberet annos plus, minus triginta*. Irenæus lib. 2. adv. hæretes cap. 22. num. 1. aliàs cap. 38. *Salvator triginta annorum existens venit ad baptismum*. Eusebius lib. 1. Hist. cap. 10. *Quando jam ætatis suæ annum trigessimum agere incipiebat, ut scribit Evangelista, ad Joannem ut lavacro baptismatis tingeretur, se contulit*. Gregorius Nazianzenus Orat. 39. *Christus cum trigessimum ageret annum, baptizatur*. Hieronymus in cap. 1. Ezech. *Illud quoque intelligendum, quod trigesimo ætatis suæ anno Dominus ad baptismum venerit*. Mitto brevitatæ gratia Bedam, D. Thomam, Chronicum Alexandrinum, Zonaram, Genebrardum, Suaresium, Perrerium, Nicolaum Lyranum, Dionysium Carthusianum, Tostatum, Cajetanum, Hugonem, & ex Chronologis Grævesonium, Pagium, Schellstratium, Norisium: Quid enim multus ero Scriptores connumerando, cum nec unum aut percelebrem, aut proletrarium, qui asserat Christum baptizatum anno ætatis suæ xxxi. i. aut xxxiv. novitiæ hujus sententiæ patroni in medium proferre valeant?

Ex

8.
Confirmatur 2.

Excutitur etiam facillime commentatio altera, quod participium *incipiens* non anni tricesimi, sed prædicationis Christi sit nota. Enimvero intertio Lucæ capite, non Christi prædicationis, sed ætas, atque genealogia citato versu 23. & sequentibus describuntur: ac subinde initio capitis iv. regressus Salvatoris à Jordane, quadragenarium jejunium, & diaboli tentatio enarrantur; quæ etiam ex capite Matthæi quarto baptismum inter & Evangelicæ prædicationis initium intercessere. Quomodo ergo huc spectat *τὸ incipiens*? quomodo est versu 23. cap. iiii. divulgum, ad versum 15. capitis iv. violenter pertrahitur? Ad hæc perspicua est Vulgatæ authentica lectio, *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*: quibus in verbis *incipiens* ætati conjunctum est. Neque quidquam offitit participii postpositio extans in Græco, cum interpunctione, quam ferunt ab Origene appositam, ad hunc plane modum: *Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἑτῶν τριάκοντα, ἀρχόμενος*. Ad quid enim, quæso, hæc interpunctio, nisi forte, ut participium *ἀρχόμενος* ad rectum *Ἰησοῦς* pertinere percipiatur? Adde, quod emendatissima exemplaria, & omnia, quæ vidimus, inter quæ Angelicæ Bibliothecæ Codex regius, ipsam interpunctionem non habent. Insuper Græcus antiquissimus Vaticanus n. 1209. habet, *Καὶ αὐτὸς ἦν Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡσεὶ ἑτῶν τριάκοντα*, mire conveniens cum Vulgata, & commentitiam recentiorum interpretationem revincens. Præterea in Græco non extat illud tantum *incipiens*, sed, *incipiens existens*, *ἀρχόμενος ὢν*: quod ad ætatem, non ad ministerium ferri debet; unde Vatablus, Isidorus Clarius, necnon Erasmus reddiderunt: *Incipiebat agere annum tricesimum. Incipiebat esse annorum triginta*. Denique si concedamus *τὸ incipiens*, ad prædicationem spectare, quid adversum nos erit consecutionis? Nonne post baptismum, jejunio tamen dierum quadraginta præmissio, *cepit Jesus prædicare*, ut inquit Matth. iv. 17. Marcus i. 14. & Petrus Act. i. 22.? Christus itaque agens annum tricesimum baptizatus est in Jordane, eodemque anno prædicationem incœpit suam.

9.
Confirmatur 3.

Insuper propositio confirmatur ex quo in priori anno Dominicæ prædicationis Judæorum quidam de Herodiano templo dixerint, Joan. ii. 20. *Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc*, quæ verba de Templi ornatu, non de corpore ædificii accipienda esse ostendi.

R. P. Berti Theol. Tom. V.

mus pag. 33. Ex Josepho insuper lib. vi. de Bello cap. 6. imo ex Mat. xxiv. 1. insertur in sacræ ædis structura plurimum operis etiam posterioribus annis insumptum, neque, dum ea verba Judæi pronuntiarunt, fuisse amplissimum ædificium undequaque perfectum. At ex eodem Josepho lib. xv. Antiq. cap. 14. nunc 11. Herodes arduum hoc opus aggressus est *anno decimo octavo regni sui*; sive, ut inquit idem Historicus lib. i. de Bello Jud. cap. 21. alias 16. *anno regni sui decimo quinto*, id est anno xv. à cæde Antigoni; anno xviii. ab accepto regno à Romanis: ita enim nulla offenditur in probatissimo Auctore contradictio. Herodianum ergo Templum inchoatum est anno U. C. 732. qui est Regni Herodis à cæde Antigoni xv. & ab anno, quo à Romanis declaratus est Rex, xviii. Addantur modo *quadraginta sex anni*, ac nobis tempora supputanda erunt usque ad annum Romæ 778. quo exacto, nimirum anno U. C. 779. præterierant adamussim anni ædificationis templi xlvi. & consequenter idem annus Urbis est primus Dominicæ prædicationis & baptismatis Christi.

Opp. 1. Illa Evangelistæ verba, *Anno quintodecimo, &c.* non sunt Chronologica nota imperii Proconsularis Tiberii, sed imperii Augustalis. Atqui annus imperii Augustei quintus decimus concurret cum anno U. C. 782. & cum anno vitæ Christi tricesimo tertio, id est, Ae. V. 29. & Dominus baptizatus est altero anno prædicationis Joannis, ut argumentatione proxima demonstrabimus. Ergo Dominus ad baptismum venit anno U. 783. Coss. Vinitio, & Cassio, anno Ae. V. 30. atque ætatis suæ tricesimo quarto ineunte. Probatur major. I. Ex Tacito lib. i. Annalium Livia Tiberii Mater defuncto Augusto acribus custodiis domum & vias sepsit, Filiumque vix ingressum Illyricum properis literis revocavit. Quid autem pertimescebat Livia, si Tiberius Senatusconsulto summum jam indeptus erat principatum? II. Inquit ibidem Tacitus: *Primum facinus novi principatus fuit postumi Agrippæ cædes*: ubi aperte imperium Tiberii dicitur novum, nuper scilicet arreptum. III. Aelius Spartianus de M. Aurelio & L. Vero inquit: *Hi sunt, qui postea duo pariter Augusti primi Rempublicam gubernavere*: ideoque nemo ante M. Aurelium, & L. Verum, in consortium imperii fuerat assumptus. IV. Historici omnes in supputandis annis Tiberii Epocham Augustianam usurpant, dum inquirant Ti-

IO.
Obijciunt 1.

T t 2

berium

berium imperasse tribus ferme ac viginti annis, sive annis 22, mensibus septem: quibus accedunt PP. Clem. Alex. lib. 1. Stromat. Tertull. lib. adversus Judæos cap. 8. & Lactantius lib. 1. Institut. cap. 10. asserentes Christum affixum cruci anno xv. Tiberii, annos natum quasi triginta, & Consulibus duobus Geminis. Consulatus quippe duorum Geminorum concurret cum anno xv. imperii Augustei, non Proconsularis. Commentitium est itaque Proconsulare imperium Tiberii, & incredibile omnino est Lucam Evangelistam in historia ubique terrarum narranda Epocham usurpasse sacris, profanisque scriptoribus prorsus ignotam.

II.
Responde-
tur.

Resp. nego majorem, quæ nullatenus tribus primis momentis fulcitur; quippe nos fatemur Tiberium in provinciis tantum parem cum Augusto adeptum eo vivente auctoritatem, quod & scribit Tacitus; non asserimus illum eventum ad imperium Augusteum, de quo anxia erat Livia, ne illius potiretur Germanicus, in cuius manu tot legiones, & immensa sociorum auxilia, ut eo loci narrat Historicus. Nihil ergo adversum nos aut Taciti, aut Aelii Spartiani testimonia. Sed & parum, aut nihil urget argumentum quartum, & quantum ad Patres attinet sententiam communis nostram. Quomodo enim Christus mortuus est anno xv. Tiberii, ut scribunt Clemens Alex. ac Tertullianus, si anno xv. venit ad baptismum, & adversarii, qui hæc objectant, inter baptismum, & mortem Christi quatuor Palchata fatentur intercessisse? Baptizatus est ergo Dominus anno xv. imperii Proconsularis, & Augustei xii. mortuus anno xv. imperii Augustiani, & Proconsularis xviii. & qui imperium Augusteum à Proconsulari non distinxerunt, maluerunt asserere Christum passum anno trigesimo vitæ suæ, quam exploratissimam traditionem deferere de anno Christi emortuali. Nam è sententia nostra consequitur vere Christum suffixum cruci anno xv. Tiberii, & duobus Geminis Coss. ut suo loco dicetur. Falsum præterea est secutum Evangelistam Epocham ignotam penitus, cum ex dictis manifestum sit illam comprobari ex Tacito, Vellejo, & Suetonio. Idem Clem. Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. edit. Morelli 339. ait Tiberii tempora à quibusdam diversa ratione describi. Tertullianus dum scribit baptizatum Dominum anno Tiberii xii. nequit accipi nisi de anno Augusteo, ac supponit alteram

fixam à nobis Epocham. Atque hanc secutus est Evangelista usurpans notam imperii in provinciis notissimi; quemadmodum Jeremias, & sacra Regum Historia supputant annos Nabuchodonosoris Regis Babyloniorum ab ejus in Syriam expeditione, à quo tempore regnavit annis xliv. quamvis Berosus lib. 3. Chald. hist. Josephus in x. Antiq. & Ptolemæus in Canone nonnisi annos xl. dinumerent, illos supputantes à morte patris. Quare Evangelista secutus quoque est aliorum divinatorum Scriptorum consuetudinem.

Opp. 2. Non xv. Tiberii anno, sed xvi. baptizatus est Dominus: inter initium quippe prædicationis Joannis unum, vel alterum annum interfluxisse demonstrant viri clarissimi, Pagius, Schellstratius, & Graveſonius, ex quo Dominus ad baptismum accesserit, cum impleveret Joannes cursum suum, ex Act. xiii. 25. & cum baptizaretur omnis populus, ex Lucæ iiii. 21.

12.
Obijciunt 2.

Resp. doctissimorum virorum, quorum mentio à nobis facta est, chronotaxim nobis nullatenus adversari, cum Epocham imperii Proconsularis Tiberii vel uno, vel duobus annis anteverant. Placet tamen nobis in anno potius xv. quam xvi. Christi baptismum locare, primum quia circa principatum Tiberii subscribendum censemus Norisio: deinde quia nullus aut Historicorum, aut Patrum asseruit Christum lavacro Jordanis tinctum anno xvi. Tiberii, sed concordissime factum id narrant anno xv. excepto Tertulliano, qui posuit annum xii. recte concurrentem in sententia nostra cum anno U. C. 779. computatis annis xii. à morte Augusti, sive ab anno U. 767. & annis xv. ab exordio imperii Proconsularis, scilicet ab anno Romæ 765. Tandem quia argumentum istud nullius est efficacæ. Annus quippe Tiberii xv. concurret cum anno Ae. Vulgaris xxv. & xxvi. cum Tiberius imperium indeptus fuerit Sextili mense. A Septembri autem anni xxv. usque ad Januarium anni proximi, quatuor mensium decursu potuit Joannis nomen undique resonare, & ad Jordanis fluentem confluere populi multitudo: nam & Christi fama initio prædicationis exiit per universam regionem, Lucæ iv. 14. Atque his accedit, quod non expleto Joannis ministerio, sed cum impleveretur, (ex iisdem, quæ obijciuntur locis) Christus suscepit baptismum. Sed & Joannes peragravit duntaxat omnem regionem Jordanis, id est, omnia

13.
Responde-
tur.

omnia circa Jerichuntem campeſtria, quæ ſacer fluvius perluſtrat, & quæ quatuor tantum menſibus poterat prænuſſi mi- niſterio commodè circuire.

14. Opp. 3. Evangeliſta non ſolum memi-
Objiciunt 3. nit anni Tiberiani xv. verum etiam Pila- ti eo temporis Judæam procurantis. At Pilatus anno U. 779. nondum erat Pro- curator Judææ: inde enim urgente Vi- tellio diſcedens *exactis in ſua Provincia decem annis*, ad Urbem iter ſuſcepit, quo priuſquam perveniret, exceſſit è vita Ti- berius. Obiit autem Tiberius Conſuli- bus Cn. Acerronio Proculo, & C. Pon- tio Nigrino, id eſt, anno Ae. V. 37. & U. C. 790. Pilatus ergo ante annum U. 780. non fuit Judææ Procurator. Vide Joſephum lib. xviii. Antiq. cap. 3. alias 5. & de Bello Jud. lib. ii. cap. 13.

15. Reſp. Pilatum ex Joſepho ibidem miſ-
Reſponde- ſum in Judæam ſucceſſorem Grati, qui tur. exactis annis xi. Romam repetiit anno Ae. V. 25. & U. C. 778. Quomodo ergo Pilatus proximo anno minime Ju- dæam procurabat? Pervenit utique Ro- mam anno U. 790. ſublato è vivis Tibe- rio xvii. Kal. Aprilis: ſed Joſephus ſcri- bens Romam illum veniſſe *conſumptis decem annis in Judæa*, vel omiſit men- ſes aliquod primi ac poſtremi anni, ut efferret numerum annorum rotundum, vel pro *decem decem*, ſcripſit *decem*, unde- cim: vel ſane Pilatus male ſibi conſcius, & judicium refugiens, ſeu morbum ſin- xerit, ſeu ventorum contrarietatem, ſeu cauſam aliam, expectavit in itinere mor- tem Tiberii Caſaris.

16. Opp. 4. Ex Evangelicis verbis, *Et*
Objiciunt 4. *ipſe Jeſus erat quaſi annorum triginta*: inferre non poſſumus, qua ætate Chri- ſtus baptiſmum ſuſceperit. Particula enim *Quaſi* definitiva non eſt: nam de turbis à Domino ſatiatis legimus Marci viii. 9. *Erant qui manducaverant quaſi qua- tuor millia*, Joannis vi. 10. *Quaſi quin- que millia*; & Matth. xiv. 21. *Erant autem quinque millia virorum, exceptis parvulis & mulieribus*. Poſſumus ergo aſſerere Chriſtum ad baptiſmum ve- niſſe anno ætatis ſuæ triceſimo quarto in- eunte.

17. Reſp. neque à nobis uſurpari particu-
Reſponde- lam illam *Quaſi* tanquam anni triceſimi tur. definitivam, cum ſententia noſtra ve- niens Dominus ad baptiſmum vix triceſi- mum annum attigerit. Quare affirma- mus hujus particulæ eandem vim eſſe, ac ſi diceretur *plus minus*, quemadmodum

ait S. Martyr Juſtinus diſputans cum Tryphone. In ſenſu autem diminutivo particulam illam accipiendam putamus, quod participium *incipiens* denotet in- choatum annum triceſimum, non exa- ctum; quod communiter Patres, qui dum ſacræ literæ ambiguae ſunt, nobis facem præferunt, baptizatum Dominum ubique affirmant anno labente triceſimo; quod præterea id maxime cohæreat cum annis Domini tam natali, quam emor- tuali. In præcitatis vero Evangelistarum verbis nihil prorsus difficultatis offendi- mus. Etenim Marcus cap. viii. enar- rat aliud Chriſti miraculum, atque ipſe- met cap. vi. 44. *Erant autem* (inquit) *qui manducaverunt quinque millia viro- rum*, non ſecus, ac in capite xiv. Mat- thæus. Miraculum iſtud patratum eſt in deſerto, multiplicatis quinque panibus, & duobus piſcibus: at quod Marcus nar- rat cap. viii. contigit prope mare Ga- lilææ in panibus ſeptem, paucisque pi- ſciculis. Perperam itaque hiſce exemplis nonnulli nituntur ut differant baptiſmum Chriſti ad annum quartum ac triceſi- mum, paſſionem vero ad triceſimum ſeptimum: quod pariter repugnans eſt, adverſatur Patrum traditioni, & paulo poſt reſutabitur.

Opp. ultimo: Negari ſaltem non po-
teſt, quin Dominus ad baptiſmum ac-
cedens annum triceſimum exegerit; quippe id comprobatur expreſſo teſtimo- nio Ignatii Martyris ſcribentis ad Tralle- ſios, *Et expletis tribus annorum decadi- bus vere baptizatus eſt à Joanne*. Adver- ſus autem tam patens de ætate Chriſti teſtimonium nemo vel mutire, nedum refragari debet, inquit Baronius. Acce- dunt Canones præſcribentes, *ne quis præbyter ordinetur, niſi triginta ætatis annos impleverit*; quoniam & Dominus *triceſimo anno baptizatus eſt*. Ita Canon xi. Concilii Neocaſariensis, 17. Agathen- ſis, 4. Carthaginiensis iii. & 10. Toletani iv. Conſonat & antiquus Ordo Ro- manus laudatus ab Albino Flacco de Off. Eccleſ. cap. 6. necnon cap. *Siquis*, diſt. 78. & cap. *Cum in cunctis*, de Elect. & Electi poteſt.

Reſp. i. His nullo pacto ſententiam
noſtram concuti, ſi natalem Chriſti reſe-
ramus ad annum U. 748. aut inter paſ-
ſionem ac baptiſmum tria duntaxat Pa-
ſchata dinumeremus: quæ duo poſſunt aliqua probabilitate defendi, nec pugnant cum Antiquorum conſenſu, quemadmo- dum pugnat ſententia eorum, qui con- tendunt Chriſtum baptizatum anno æta-
tis

tis suæ xxxiv. Respondemus præterea his quoque momentis demonstrari baptizatum Dominum anno xxx. inchoato, nondum autem exacto. Martyr enim Ignatius ad Trallianos inquit: *Καὶ τῆς ἐκείνου ἐτῶν πολιτεύσας ἐβπτισθῆναι ὑπὸ Ἰωάννη ἀλφειῶς*: Et triginta annos agens baptizatus est à Joanne verè: non ut ver-
 zit olim Vairlenius Sylvius, Et expletis tribus annorum decadibus. Pagius in Apparatu num. 151. observat hæc verba legi quidem in Epistola Ignatii interpolata, ac non in genuina. Revera non comparent in Florentino Codice edito ab Ilacio Vossio. Extant tamen in vetustissimo Vaticano num. 859. & laudantur ab Auctore Chronici Alexandrini. Ignatii itaque testimonio admissio, eodem sententia nostra fulcitur. Canon etiam Neocæsariensis habet, *Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur*, nec aliter Agathensis, ac Toletanus. In antiquo pariter Ordine Romano legitur, *Expletis enim Christus quasi triginta annorum curriculum venit ad Jordanem, ut baptizaretur*; non autem absolute, expletis. Aliter legi fatemur in cap. Si quis, dist. 78. sed ex regulis Juris, & ex eadem distinct. inferitur canonem explicandum esse de anno tricesimo duntaxat inchoato; quoniam dum agitur de muneribus & honoribus computatur etiam tempus, quo infans in utero materno delituit, & fat est, si annus præscriptus una tantum die attingatur, ut censeatur transactus: uti observat Glossa in lib. 1. Decret. tit. 6. c. 7. & de Laicorum muneribus extat ff. de mun. & bon. ad Remp. Canone etiam *Cum in sanctis*, nequaquam inhibetur, (servatis terminis juris,) ne Episcopus eligatur dum tetigit, nec explevit annum trigessimum; sed id inhibetur duntaxat est Constitutione Gregorii XV. edita die 15. Maji an. 1591. ut inquit in hunc titulum Emmanuel Gonzalez. At Joannes Cardinalis à Turrecremata in cap. Si quis, definitam quidem censet ætatem tricesimi anni completi: sed ait rationem petitam ex Christi baptismo videri Glossæ & Hugoni inefficacem; cum Christus ad baptismum accedens non attigerit anni tricesimi, nisi diem tertiumdecimum. In distinct. lxxviii. cap. Nemo presbyter, definitur, ne quis dum consecratur, minor triginta annis sit; atque proximo cap. Si triginta, ut si necessitas exposcat, à vigintiquinque annis & supra Levitæ, & Sacerdotes ordinentur. In veteri quoque Testamento legimus Num. iv. 3. admissos Levitas ad ministrandum in tabernaculo scederis, à trigesimo anno &

supra, ut habet Vulgata, & Hebræus Codex, à filio triginta annorum. מִבֶּן

שְׁלִישִׁים שָׁנָה At ibi in Versione lxx.

legimus, ἀπὸ εἰκοσάετος καὶ πέντε ἐτῶν καὶ ἐπὶ τῷ, à vigintiquinque annis, & supra. Hæc spectasse videntur prædictorum canonum Conditores, ac Tridentina Synodus sess. xxiiii. cap. 12. dum ait: *Nullus in posterum ad Presbyteratus Ordinem ante vigesimum quintum ætatis annum promoveatur*. Cum igitur in promovendis presbyteris post Tridentinum Concilium requiratur tantum annus vicesimus quintus inchoatus, non autem expletus; dicendum est eandem ætatem præscribi Canone, Si triginta, dist. 78. quemadmodum tricesimum annum Can. Si quis, eadem distinctione, necnon præcatis definitionibus Toletani, Carthaginensis, & Agathensis Conciliorum; præsertim cum Toletanum apud Aguirre Tom. 11. pag. 483. præferat legem præcitatam Numerorum. Ex quibus inferitur præscriptionibus Canonum nequaquam adversari, sed quammaxime consentire sententiam, quæ asserit baptizatum Dominum anno tricesimo nondum expleto; prout nos hac dissertatione exponere, & comprobare curavimus.

PROPOSITIO III. Christus baptizatus est vii. idus Januarias.

20.
Propositio 3.

Hanc propositionem addimus adversus recentiores perpaucos, qui unius Epiphaniæ sententiam secuti baptismum Christi referunt in autumnum, cum idem Epiphanius H. 11. scribat baptizatum Jesum die 12. mensis Athir, id est, octava Novembris. Verum cum hæc Epiphaniæ sententia singularis sit, ab ea recedendum esse arbitramur. Movet nos primum traditio Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ in solemnæ Epiphaniarum die Magorum adventum, & Redemptoris baptismum concelebrat, affirmatque eadem die recurrente utrumque contigisse. Viget eadem traditio apud Ecclesias cæteras: nam Christiani Copti, ut scribit Scaliger lib. vii. Emendat. temporum, quotannis sexta Januarii die memoriam baptismi Dominici recolentes sese in piscinam immergunt. Armenii pariter vii. idus Januarias crucem in aquam immittunt Christi baptismum recolentes, appellantque diem illam Cacciciuran, id est, Crucis immersionem: atque hanc Armeniorum ceremoniam se in Perside vidisse scribit Epist. vii. Petrus à Valle. Ecclesiæ Orientis aliæ prædicta die in aquam Christi

Probat.

sti statum immittunt trina immersione, atque eandem aquam diutissime incorruptam permanere narrat ad annum Christi 29. Antonius Pagius, referens Josephum Georgerinum Archiepiscopum in insula Arcipelagi anno 1676. hoc Orientalium ritu servato Aquam consecrassse, quæ limpidissima perduravit annis plurimis, & servata esset diutius, nisi phiala fortuito fuisset contracta. Apud Aegyptios recolit Epiphanius Christi revelationem, atque baptismum, scribit Collat. x. cap. 2. Joannes Cassianus. Omnes Orientis Christianos die 6. Januarii in memoriam Dominici baptismatis solemniter ritu benedicere flumen, quo regio ipsorum abluitur, narrat lib. 2. de Festis cap. 7. Thomas. Est ergo utriusque Ecclesiæ cum Latine, tum Græcæ, aliarumque universarum sensus unanimes baptizatum Dominum in Jordane VII. idus Januarias.

21. Hujus traditionis meminerunt etiam Patres. Nam Eusebius in Epistola ad Marinum apud Baronium ad annum Ch. xxxi. num. 18. ait constare antiquissima traditione, quod Christus baptizatus sit sexta die Januarii. Epistolæ Eusebianæ fragmentum posteritati traditum est à Christophorono post Historiam Evagrii. S. Hieronymus in cap. 1. Ezech. Tom. III. pag. 699. inquit: *Illud quoque intelligendum quod in tricesimo ætatis suæ anno Dominus ad baptismum venerit, in quarto mense, qui apud nos vocatur Januarius, & est in anni primus exordium.* S. Paulinus Nat. ix. in S. Felicem de Epiphaniis die cecinit:

*Qua Puerum stella duce mystica dona ferentes
Suppliciter videre Magi; seu qua
magis illum
Jordanis trepidans lavit tingente
Joanne
Sacramentum cunctis recreandis gentibus undas.*

22. Dein ex Chronico Alexandrino 2.

Accedit Chronicon Alexandrinum, in quo Tom. XII. Bibl. PP. p. 927. legimus: *Christus verus Deus noster in Jordane tinctus est die sexto Januarii mensis, quemadmodum sine controversia eodem die Catholica & Apostolica Ecclesia in suo ipsius typo & XII. Apostolorum suorum diem festum Luminum, sive Epiphaniam Domini nostri Jesu Christi magni Dei & Salvatoris celebrare consuevit.* In Codice item Regio apud Coteler. Tom. I.

PP. Apost. pag. 312. legitur: *Et cum esset annorum triginta, baptizatus est à Joanne 6. Januarii mensis, hora 7. diei.* Denique ipsi severiores Critici fatentur hac die Dominum baptizatum. Hyacinthus Serry Exercit. XLV. num. 5. ait: *Id consentiunt universi, ut die 5. aut 6. Januarii fuerit baptizatus, qua die etiam Ecclesia Catholica à primis sæculis Theophaniam solita est celebrare.* Tillemontius Not. XVI. in Jesum Christum ait certiore esse diem baptismatis Christi, (quod & ipse alligat diei Januarii sextæ,) quam diem Dominicæ Nativitatis. Ipse Basnagius, quamvis diem qua Christus baptizatus est affirmet prorsus incertum, mensem quod attinet, fatetur vero simile Januarium fuisse baptismi Dominico consecratum. De die nutat Basnagius, quoniam Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum de Basilidis sectatoribus inquit: *Dicunt autem eum esse quintumdecimum annum Tiberii, quintumdecimum mensis Tybi.* Aliqui autem esse undecimum ejusdem mensis. Incidit verò Tybi XV. in Januarii X. & Tybi XI. in Januarii VI. Addit Basnagius Hieronymum in cap. 1. Ezech. alligare baptismum Domini quintæ Januarii, non sextæ diei. Objicit & Epiphanius, qui hæresi 11. num. 24. ait Christum baptizatum VI. idus Novembris. Sed hæc parum urgent. Sæctatorum enim Basilidis nullam rationem habemus; & qui in ea secta baptismum Domini celebrabant die X. Januarii, ab aliorum consuetudine desciverant. Ex quo præterea aliqui assererent consecratum Dominico baptismate diem XI. Tybi, sive VI. Januarii traditionis nostræ colligi potest antiquitas. Hieronymus ait, *Quintam autem diem mensis adjungit, (Ezechiel) ut significet baptismum, in quo aperti sunt Christo cæli: sed festivitates celebrantur à vespere præcedentis diei, consuetudine vetustissima.* Epiphanius denique unus est, qui asseruit Jesum baptizatum die octava Novembris, ut etiam Tillemontius adnotavit præcæto loco, etsi ibidem male pro die VII. Novembris scripserit VI. Sane unus Epiphanius non sufficit ad probandam Ecclesiæ universæ traditionem: erratque Bernardus Lamy, qui in apparatu Chronologico pag. 234. scribit: *Hac die octava Novembris Jesus baptizatus est juxta veterem traditionem ex S. Epiphanio.* Id legi in Panario Epiphani, verum est; tenendum tanquam traditionem veterem, falsum prorsus, atque eumentum.